

ad ministerium sacrum se præparant. In eo enim multa reperiuntur, quæ interpretes sæpe non observant, utpote Linguarum Sacrarum quandoque non satis periti.

§. 6. Denique quia in Codice Ebræo plura occurrunt anomala, quæ non satis in Grammatica aliqua reperiuntur, multum commodi percipiet hujus Linguae Studiosus, si comparaverit sibi & merito studio legerit Grammaticam Ebraicam laudati Glasii, cui annexus est brevis tractatus de Anomalis in Codice Ebræo ordine Alphabetico scriptus.

§. 7. Si linguae hujus studiosus eos sibi profectus acquisivit, ut textum Ebr. explicare queat, optime studiis suis consulat, si addat linguam chaldaicam. I. propter particulas quasdam in Codice V. T. chald. idiomate scriptas, e. g. in Esra. c. 4. à versic. 8. usque ad finem: idem de cap. 5. & 6. dicendum. Quod autem Chaldaico idiomate in nonnullis Esra usus est, ideo factum, quia scripsit ex Chaldaea redux, & quidem Chaldaeorum res atque edicta, lingua Chaldaica concepta, quo tempore lingua Chaldaica populo Judaico nota & familiaris erat. Similiter *Jerem. 10. v. 11.* Chaldaico idiomate scriptus est occasione sic ferente. Occupabatur enim Propheta in iis, quæ populo Judaico in captivitate Babylonica obventura erant, in specie commemorat, quibus verbis Israelita responsuri essent Chaldaeis ad idololatriam ipsos sollicitaturis. In Daniele occurrunt quaedam Chaldaica cap. 2. à vers. 5. usque ad finem. it. c. 3. 4. 5. & 6. Hæc à Daniele in Chaldaea scripta sunt, & continent ea, quæ Chaldaei & ipse cum Chaldaeis locutus est & egit.

§. 8. Hæc prima ratio, ob quam à futuro Ecclesiae Ministro Chaldaicæ linguae opera danda est: sed præter hanc rationem Linguarum Studiosum, ut linguae Chaldaicæ operam aliquam impendat, movere debent Paraphrases Chaldaicæ. Cum enim in captivitate Babylonica Judæi ob conversationem

B

&amp;